

Q. k. 517. 21.

II 9  
1024

PROGRAMMA  
MAGNIFICI  
RECTORIS ACADE-  
miæ Francofurtanæ.

*Illustris & Generosi Domini*  
DN. ERNESTI LUDOVICI  
Liberi Baronis in Putbus &c.

*Quo*  
*Omnes omnium ordinum cives Aca-*  
*demicos officij ratione ad celebratio-*  
*nem diei MICHAELI ARCHAN-*  
*GELO sacri invitatur.*



FRANCOFVRTI AD ODERAM  
Typis Friderici Hartmanni Bibliopolæ  
Anno 1596.

35.



RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O

RT O T O R A O



RECTOR ACADEMIAE  
FRANCOFVRTANAE  
ERNESTVS LVDOVICVS  
Liberi Baro in Putbus &c.



Letatem ad omnia esse utilem  
dictante scriptura sciunt omnes,  
& qui non ad oracula diuina  
prorsus obduruerunt sequendum  
sibi existimant: Sed, quae  
ositantia est & supina  
mentium nostrarum in curan-  
dis caelestibus negligentia,  
vel raro cogitationes istuc  
nostras deflectimus, vel si quis  
tandem nos pietatis subeat  
affectus, factu, quae anima eius  
est, eundem non exprimimus,  
tam si DEVM, quam si proximum  
respicias. Cultum illi ex toto  
corde verum sincerumque  
debemus, huic caritatis officia;  
quae uti pane in uniuersum  
refruxerunt, ita nihil minus  
crebro, aut vacuo prestamus  
animo, quam cum in hoc sumus,  
aut esse videri volumus,  
Deum quod veneremur, siue  
precibus deuotis, siue gratiarum  
pro acceptis beneficijs actione.  
Namque cum multa & pane  
infinita quotidie ob oculos  
versentur bonitatis diuinae  
in nos argumenta, neque ulla

vita pars eius beneficentia vacat, tamen etiam ante pedes posita vix aspicimus, nedum agnita, grate mente predicemus, aut debita auctorem eorundem veneratione prosequamur. Quin quidquid ubique est curarum cogitationumque vagarum, vanarum, nihili, & futillum, id omne nos vel orantes vel sacramediantes quasi de industria adoritur, interturbat, obruit & abripit: Ut non immerito nos Saluator noster indefinenter orare iusserit, cum ob pericula quae nos undique multa & magna circumstant, tum ob omissionem quoque & incuriam hanc nostram, ut si prima vice lingua orantes animum non aduertamus, saltem iteratione crebra incalentes, serio & in spiritu ac veritate Deum invocemus & celebremus. Nec longè abierimus. Quotus enim quisque nostrum est, qui nisi conceptis precum matutinarum & vespertinarum formulis in eam mentionem ducatur, aut è magno forte & presentissimo periculo praeter spem ereptus sit, alias unquam Deo pro fida caelestium excubiary custodia gratias agat, & immensi illius beneficii magnitudinem grata secum recordatione expendat? Bono itaque nostro factum, quod sobria & religiosa antiquitas diem certum constituit, quo per uniuersum orbem Christianum quotannis Ecclesia Michaeli Archan-

Archangelo, duci & creatori militiae caelestis, pro  
defensione corporum & animarum nostrarum, &  
peruigili angelorum sanctorum ministerio gratias  
ageret, eidemq; de cetero uniuersi cœtus & singulorū  
salutem deuotè commendaret. Cuius rei si ullo  
tempore urgens Christianis incubuit necessitas, certe  
hisce temporibus extrema esse deprehenditur, quan-  
do appropinquante fatali orbis & omnium rerum  
ruina, calamitates & miseriae illa diem iudicij ul-  
timi antecessura non ante fores sunt, ut olim, sed  
in medio posita regna, gentes, urbes, & priuatim u-  
numquemq; per uniuersum orbē angunt, excruciant  
& affligunt. An non enim PseudoChristi & Pro-  
phetae plures subinde exorti, multos seduxere, &  
quotidie adhuc dementant, dum hic se impudenter  
Christum ipse profitetur, ille paulo modestior eius se-  
se legatum sine mandato venditans, in hoc aut illo  
ipsum loco, uelut in camera clausum asserit, uel in  
deserto, quasi dicas in Utopia & nusquam consti-  
tuit? Persecutio autem fideles non uno hactenus  
affligit modo aut loco, neq; quidquam tam inuisum  
aut exosum mundo, quam qui spretis traditionibus  
humanis sana & repurgata religionis sectatores se  
profitentur. Proditiones uero & perfidia ita ho-  
die frequentantur, ut à nullo ferè maius pericu-

bum immineat, quam quos vel sanguinis coniu-  
ctione necessarios, vel meritis tuis aut iurifurā,  
di religione obnoxios, omnium tibi fidissimos speres:  
Ut nimis quàm crebrò Lysandri impiū illud usur-  
petur, pueros astragalus, viros iuramentis esse fal-  
lendos. Publica autē illa mala mala, bella, fames,  
pestis, terremotus, aquarum inundationes &  
incendia sic nunc hanc, nunc illam orbis partem af-  
figunt & vastant, ut quod addi illis amplius pos-  
sit, nihil videatur reliquum. Quod si ad tyranni-  
dem Diaboli respiciamus, nunc verè illa adesse vi-  
dentur tempora, quibus Ioannes futurum prædixit  
ut Satanas solutis inferorum claustris in mundum  
exiret seducturus eum & congregaturus Gog &  
Magog de quatuor orbis angulis. Quanta enim ra-  
bie & quam monstrosè in vicinis anno superiore lo-  
cis ipse sauiet, & quam nunc ingenti cruentoq; fu-  
rore in emissarijs suis Turcis ac Tartaris aestuet, ex-  
perta hæctenus non sine insigni clade & summo do-  
lore misera fuit Vngaria: & fortè eadem tempe-  
stas (id quod diuina benignè auertat clementia)  
longius progressa, alias quoq; inuadet & peruadet  
orbis Christiani prouincias. Ab his autem tantis,  
tamq; atrocibus malis, cladibus & miserijs quod  
nos immunes Dei optimi maximi voluit benigni-  
tas.

tas, nosq; ab insultu Satanae, incursione hostium &  
alijs periculis omnibus dextra illa omnipotenti tu-  
tos prestare & impendentia mala peruigili genio-  
rum caelestium cura & defensione arcere a nobis to-  
to hoc anno voluit, id vero magni beneficij loco ha-  
bendum, & grata predicatione est celebrandum,  
idq; cum alias semper, tum vero in primis hodierna  
die Michaeli Archangelo sacra. Eam enim non ex  
more festam feriat amq; habere, aut otio deside tra-  
ducere, sed meditationibus sacris & recolendo bene-  
ficio defensa in medijs turbis a Deo Ecclesiae, & con-  
seruata singulorum salutis tribuere pios omnes o-  
portet: maxime eos, quos studiorum & professio-  
nis ratione reliqua hominum multitudini exemplo  
esse, & vitae sanctimonia prae lucere decet. In quo nu-  
mero quando singuli nos libenter ponimus, neq; quis-  
quam tam profligati pudoris est, quin se probum  
piumq; perhiberi velit, agamus etiam, quod pra no-  
bis ferimus, sedulo, serioq; Et quando nec dum nubes  
illa malorum haecenus capiti impendens transijt,  
sed in imbrem, eumq; vehementem ac periculosum  
eruptura videtur, benignitatem suspensa huc usq;  
cladis grato animo predicemus, & vitae innocentia  
ac emendatione iram Dei vindicem mitigemus, sup-  
pliciter eum rogantes, ut peccatis nostris parcere, aut  
si quid

QK 119 1027

X2212203

si quid omnino pœna exhauriendum sit, ipse id de  
 nobis clementer sumere, & excubijs sanctorũ  
 angelorum, uti antehac, ita porro quoq; circumda-  
 re & tueri nos velit. Quo qui nobiscũ animo sunt,  
 uti esse omnes par est, cras hora septima in eade sa-  
 cra præsto erunt, Deo Opt. Max. pro custodia S.  
 angelorum gratias unanimes corde & voce agent,  
 & quando hi cultum à nobis nullum requirunt,  
 terrenis, quos hoc nomine scriptura dignatur, an-  
 gelis suam strenuæ oblatione pro fidei animarum  
 agrypnia gratitudinem & obseruantiam testa-  
 buntur, Valet. P. P. 3. Kalend. Octobris  
 Anno CHRISTI cl l̄ XCVI.

B. C. D.



ML





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



II g  
1024

PROGRAMMA  
GNIFICI  
TORIS ACAD-  
miæ Francofurtanæ.

*stris & Generosi Domini*  
NE STI LVDOVICI  
beri Baronis in Putbus &c.

*Quo*  
*omnium ordinum cives Aca-*  
*officij ratione ad celebratio-*  
*ei MICHAELI ARCHAN-*  
*GELO sacri invitat.*

BIBLIOTHECA

BIBLIOTHECA  
POMICKAVI

COFVRTI AD ODERAM  
Friderici Hartmanni Bibliopolæ  
Anno 1596.



35.